



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Consideratio I. De Corporis humani fabrica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

obstruuntur, ferro vel suffocatione, vel &c. aut cum alimentum vel aer ad respirationem necessarius subtrahitur, aut cum partes corporis noxiis humoribus vel qualitatibus inficiuntur, sensimque destruuntur, &c. hinc omnis generis morbi, quos examinare proprium est Medicorum.

CONTEMPLATIO XIII.

De Primario Mundi aspectabilis Incola.

Domine, quid est homo, quod memor es ejus? gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus ejus, exclamat Propheta Regius, dum infinitam Dei ter Optimi Maximi bonitatem erga hominem considerat: nempe magnificum hoc, ac propemodum immensum mundi palatium, tot ornatum sideribus, tanta rerum varietate distinctum, tot naturæ divitiis plenum homini præparavit DEUS, ut illud incoleret, atque omnibus in eo contentis frueretur juxta rationem, quâ inter creaturas visibiles pollet solus, ac proinde inter eas primatum tenet. Sed quid retribuet Domino pro omnibus, quæ tribuit illi? Amorem duntaxat & cultum poscit ab illo DEUS: quàm ingratus foret homo, si hunc illi denegaret! Quanta sint illa omnia, quæ in hoc mundo aspectabili fecit DEUS, hæcenus contemplati sumus: jam ordo postulat, ut hominem ipsum, in cujus gratiam hæc facta sunt, paulò studiosius consideremus, ut in hac Contemplatione agnoscamus, quid nos ipsi simus; in sequente verò, à quo trahamus originem nostram; ac denique in ultima, quid officii nostri sit, perspiciamus. Quia verò, ut ait S. Gregorius, omnis creaturæ aliquid habet homo, Microcosmus dicitur, quasi mundus in compendio: hanc igitur Contemplationem, quia mundum novum complectitur, in aliquot considerationes dividemus, ut clariorem habeamus nostri cognitionem.

CONSIDERATIO I.

De Corporis humani fabrica.

Admirabilis est corporis humani fabrica, ex qua vel una Divinum cognoscas artificem, in cujus laudem & gloriam studia nostra tendunt omnia. Quamvis autem Anatomiam sibi vendicat Medicina, non tamen abs re erit, si aliquid de ea Contemplationibus nostris de mundo aspectabili interseramus; Neque enim debet, neque potest, ait Andr. Laurentius nominatissimus Medicus lib. 1. hist. Anat. c. 7. verè Physicus appellari, quisquis humani corporis historiam ignorat. Et turpe est, inquit Dandinus, Physicum hæc in Medicorum voluminibus quærere, quæ à Physicis illi perdiscere debuissent. Hoc à me expectari, nec volo, nec possum vellem; infero duntaxat aliquid, ne manca sit Contemplatio nostra; quin & aliæ quæstiones philosophicæ de anima, de sensibus, &c. sine hac notitia pertractari non possunt; unde Aristoteles ipse libros de partibus animalium conscripsit, quas si quis in humano cognoscat corpore, non ad eò magnam in aliis habebit difficultatem. Hæc autem pauca partim habeo ex ore R. P. Croiset, & aliorum libris,

libris: partim ipse vidi in variis Anatomiis: extant etiam Parisiis figuræ complures, humanæ similes & in magnitudine æquales ex cera artificiosissime elaboratæ, in quibus partes humani corporis exteriores & interiores distinctè, ac vivis coloribus expressæ cernuntur.

CAPUT I.

De Partibus humani corporis in genere.

Imprimis partes aliæ sunt exteriores, aliæ interiores, ut patet. Aliæ similes, aliæ dissimiles. Similes partibus constant homogeneis, atque adeò in alias sibi similes resolvuntur, ut sanguis, cujus quælibet pars sanguis est. Dissimiles partibus constant heterogeneis, ut manus, quæ ex ossibus, carne, nervis, arteriis, &c. componitur. Partes similes præcipuæ in humano corpore 15. numerantur: Nempe os, cartilago, tendo, ligamen, fibræ, membrana, vena, arteria, nervus, caro, adeps, glandula, medulla, humor, & spiritus animales, quibus sanguis ipse tanquam commune alimentum ab aliquibus additur, ab aliis seorsim consideratur.

Os pars similis est dura, sicca, solida, sensus expers, ad stabilimentum, formam, rectitudinem, & tutamen corporis condita. Ossa minimum 247. miro artificio inter se coherencia, variisque ligaminibus revincta numerantur, censenturque nutriri ex parte sanguinis impuriore. Tres partes distinguuntur in osse, media & duæ extremæ: pars media, quæ est præcipua, & ut plurimum longior, ossis nomen habet: utraque extremitas, quæ ut plurimum protuberat, dicitur aliquando *Apophysis*, aliquando *Epiphysis*: *apophysis*, quando illa projectio simul cum osse nata est; *epiphysis* verò, quando ipsi adnata est, & cartilago initio mollior in ossis substantiam induruit. Tota humanorum ossium compages, vel etiam cujuscunque animalis, suis spoliata carnibus, texturam quandam & fabricam efficit, quam Græci *Sceleron* appellant.

Cartilagines sunt partes corporis adipe & carne duriore, ossibus verò molliore, coloris albescentis, & ut plurimum spissiores ipsa pelle; texturæ filamentorum, quibus constant, ita sunt intricatæ, ut non ita faciliè in partes scindi possint: tale est ferè septum medium in extremitate nasi sejungens nares. Tendo est quasi aliquid medium inter nervum & cartilaginem, animalium motui serviens. Ligamina suspendunt partes, uti viscera: ipsa etiam ossa devinciunt, & ligamentorum munere funguntur in corpore. Membranae sunt veluti telæ ex fibris contextæ, quasi essent plures fibræ simul adunatæ, quibus quasi convestiuntur plures corporis partes, & aliæ ab aliis sejunguntur. Vena dici potest canalis membranaceus, unicâ tunicâ constans, teres & oblongus, sanguini minùs spiritoso continendo, & ad cor referendo, atque etiam per totum corpus dispensando destinatus. Arteria dicitur canalis membranaceus oblongus & rotundus, duplici saltem constans tunica crassiore & validiore, sanguini spiritoso vehendo destinatus, intra quem ex ipso corde in extremas corporis partes sanguis defluit: arteriæ micant, non verò venæ; cuilibet venæ sua subiecta est ferè semper arteria. Nervi potissimum deferendis spiritibus destinantur. Fibræ sunt veluti nervuli minores, aut filamenta oblonga, valida, & gracilia ad motum quoque destinata. Caro est pars mollis, humida, rubicunda ex sanguine progenita, ad partes, quibus apponitur, firmandas, fovendas,

turandasque. Si caro sit rara & spongiosa ad ebibendos humores, & ad irrigandas partes alias idonea, glandulas constituit. Adeps corpori circumfunditur instar indumenti. Medulla nutrit & conservat ossa; de quibus & aliis plura in decursu.

Ex his partibus componuntur dissimilares aliae, quales sunt muscoli, quorum origo seu caput ferè nervosum est, venter seu medium carneum fibris & nervis contextum, & finis seu cauda desinit in tendinem: hujusmodi musculi numerantur plurimi, & ad membrorum motum serviunt plurimum. Nervi in varia dividuntur paria, quorum decem ex cerebro, reliqua ex medulla spinali oriuntur, perque totum corpus à dexteris & sinistris diffunduntur, variisque in torti ligaminibus, fibris & aliis hujusmodi partibus, membra & reliquas partes dissimilares componunt, de quibus jam in specie dicendum.

C A P U T II.

De Suprema corporis regione, Scilicet de Capite.

Caput in superiore & eminentiore corporis parte situm est, quasi specula quædam, ex qua sensus, qui ibi sunt collocati, res expectandas aut fugiendas facilius percipiunt: figuram habet ferè sphaericam validis ossibus circumdatam, ut cerebrum, quod in isto velut propugnaculo continetur, ab externorum corporum injuriis sit protectum. Dividitur caput in partem crinitam, quæ calvaria dicitur, & in partem non crinitam, quæ facies appellatur. In parte crinita primò occurrunt capilli, tum cuticula seu epiderma, quæ non sentit, & est compactior cute; sequitur cutis seu derma, quæ in capite crassior est, quam in aliis corporis partibus; sub cute est panniculus carnosus, tum pericranium, quod est membrana è futuris quasi erumpens, vel potius per eas medianibus vasis & nervis capillaribus cum dura meninge, cui vel originem vel conservationem debet, commercium habens; & hæc totum ambit cranium. Postea est periostrium membrana scilicet tenuior, quæ immediatè adhæret ossi cranii; suum enim quodlibet os, exceptis dentibus, habet periostrium sensus exquisitissimum, sine quo ossa sunt sensus expertia. Sequitur tandem cranium, os scilicet firmissimum, quod cerebrum continet. Omnia ossa capitis sunt cranium & binæ maxillæ.

§. I.

Exteriores Capitis partes.

De Cranio & futuris.

Cranium crassum est & porosum; crassum, ut resistat: porosum, ut facilius pateat exitus vaporibus capitis. Constat ossibus octo, per varias futuras arctissimo nexu inter se conjunctis. Suturae sunt commissurae denticulares, quæ octo ossa illa ita connectunt, ut unicum videantur os constituere: quò futurae sunt arctiores & ossa minùs porosa, eò magis obnoxius est homo doloribus capitis;

pitis : quò verò latiores sunt, & cranium magis porosum, eò magis est sanum caput.

Primum os capitis est frontale : secundum & tertium sunt duo ossa scinipitis seu parietalia, quæ fermè quadrata sunt. Os frontale dicitur etiam coronale, quia aliquando, præsertim in pueris, divisum est in duas partes per suturam sagittalem. 4. Est os occipitis, quò posteriorem capitis partem occupat totam, estque omnium solidissimum, habetque in inferiore parte foramen per amplum, per quod medulla cerebri spinæ dorsi communicat : illud foramen circumstant duæ *apophyses*, quas Galenus coronas vocat, eòquòd in homine non sint acutæ, ut in canibus, aliisque animalibus plerisque, sed rotundæ glòbulorum instar ; inferuntur inter geminas cavitates primæ vertebræ, inserviuntque inclinationi & erectioni capitis.

Quintum & sextum sunt ossa temporum seu temporaria, quorum quodlibet duplex sortitur nomen : superius ubi attenuatur, & in squamam definit, vocatur os squamosum : inferius verò propter inæquales protuberantias, variasque *apophyses*, quibus exasperatur, vocatur os petrosum. Septimum os dicitur *sphenoides*, à Græca voce *sphin*, quæ significat cuneum, non quòd illud os figuram cunei habeat, sed quòd inter ossa capitis, & maxillam superiorem instar cunei inferum sit : vocatur etiam basis cranii, estque os palati : *apophyses* habet externas & internas ; internæ formam habent alicujus cellæ, unde vocantur cellæ *sphenoides*, in quarum una est cavitas, quæ pituitariam glandem excipit. Multa sunt in hoc osse foramina, per quæ ducuntur nervi, venæ, arteriæ plurimæ, aliqui muscoli, &c. Octavum os capitis *Ethmoides*, seu cribrosum appellatur, & situm est inter duos oculos sub osse frontali, cujus pars superior propriè cribrosa est, inferior spongiosa, tertia in medio narium plana, & superius veluti crista galli. Hæc sunt ossa cranii, quæ futuris connexa unicum os efficiunt, quod cranium appellatur.

Suturæ sunt octo : aliæ dicuntur propriæ, quæ scilicet ossa cranii inter se conjungunt ; aliæ communes, quæ ossa cranii adjunctis ossibus ligant. 1. Dicitur coronalis, & ducitur à tempore ad tempus per verticem capitis. 2. Dicitur sagittalis, & procedit rectè ex medio coronalis suturæ usque ad occiput. 3. Vocatur *Lamdoidea* ob litteram Græcam *Lamda*, cujus figuram imitatur, & ascendit à duobus lateribus partis inferioris occipitis, usque dum jungatur in sutura sagittali. Tres istæ suturæ dicuntur veræ, reliquæ communiter falsæ. 4. & 5. dicuntur suturæ squamosæ eòquòd per illas ossa sibi invicem tanquam squamæ squamis superimponentur, suntque fermè circulares prope aures sitæ. 6. sutura vocatur semi-communis, quæ circumvolvit totum os *sphenoides*, & quod ad cranium pertinet, & maxillam superiorem conjungit. Est & alia sutura, quæ simpliciter communis est, à temporum extremis cavitatibus prodiens per medias oculorum fossas supra nasi dorsum porrecta, separâtque maxillam superiorem ab osse coronali, & 7. potest appellari. 8. est interna quædam sutura, quæ os *ethmoides* circumvolvitur.

Maxillæ & Dentes.

Maxillæ sunt binæ, superior & inferior : Maxilla superior, quæ in homine rotunda est, seu semi-circularis, & in brutis oblonga, quatuor habet eminentias, unam in naso, duas in malis, quæ poma seu pomula appellantur, & quartam, quæ dentium originem continet. In hac superiore maxilla numerantur

tur ossa 11. quinque scilicet ex qualibet parte, & unum in medio; Platerus numerat omnino 12. Quinque ossa paria numerantur, os malæ, os jugale, os unguinare, sive os fistulæ lachrymalis, per quod oculus cum naso communicat: huic ossi adhæret glandula, per quam pituita in nares defluit; os maxillare, quod est omnium maximum, continetque mediam dentium partem, medietatem nasi, & medietatem pomuli; perforatum est infra orbitam oculi, & per illud foramen transeunt nervi quartæ & quintæ conjugationis. Os extremitatis palati, & quod posticam narium partem constituit. Os verò undecimum est impar constitutum inter os *sphenoides* & palatum: vocatur vomer, & inferiorem nasi partem bifariam dividit.

Maxilla inferior in pueris dividitur per cartilaginem, quæ in adultis indurascit, & duo ossa illa in unicum firmum & solidum efficit, unde unicum tantum os continet hæc maxilla. Duo sunt foramina ex utraque parte hujus maxillæ; unum, per quod transeunt nervi, arteriæ & venæ, quæ dentium radicibus singulæ adhærent; alterum inferius, per quod iidem nervi, arteriæ & venæ exeunt, & distribuuntur labio inferiori & mento. Superior maxilla in omnibus animantibus, præterquam in psittaco & crocodilo, immobilis est, & sola movetur inferior.

Dentes sunt ossa cæteris duriora, solidiora magisque polita ad cibos conterendos, & ad vocem efformandam destinata: carent exterius perioestio seu pelle illos vestiente; unde ex tactu nullus iis imprimitur doloris sensus. Dentes magis albi, densi, & firmi sunt ut plurimum signa robustioris temperamenti. Cavi sunt dentes in suis radicibus, & ex illis cavitatibus prodeunt nervi, venæ & arteriæ, quibus alligantur; unde si dens perforetur, prodit sanguis, & in dolore dentium sentitur arteriæ pulsus, qui dolor non in ipsis dentibus recipitur, sed in eorum nervulis, venis, &c. quamvis dens vitiatus plerumque sit ejusdem causa vel occasio.

Dentes in homine sunt communiter numero 32. 16. nimirum in superiore, & totidem in inferiore maxilla, raro reperiuntur pauciores, rarissime plures. Dentes omnes suo donantur nomine: anteriores dicuntur incisores, eo quod cibis incidendis sint destinati: dicuntur etiam gelasini, eo quod ridentibus nobis appareant; sunt quatuor in unaquaque maxilla. Omnes incisores simplici radice oblonga maxillæ adhærent, unde facile commoventur & avelluntur. Post incisores sequuntur dentes canini, duo in qualibet maxilla, hinc inde ad latera incisorum positi; lati sunt & densi circa basim, in extrema autem sui parte sunt acuti, simplicibus quidem radicibus maxillæ infixi sunt, sed longioribus; unde difficilius commoventur & avelluntur. Canini superiores aliquas habent nervorum fibras, quæ ad oculos videntur pertingere, unde & dentes oculares sunt dicti. Caninos dentes subsequuntur molares, quinque hinc inde in utraque maxilla, molendis terendisque cibis destinati; unde omnes sunt asperi, duri, cæterisque majores ac firmiores, ipsisque maxillis triplici radice adhærent, saltem communiter, raro quadruplici aut duplici. Duo posteriores appellantur dentes sapientiæ, eo quod prodeant tantum ætate jam provec̃ta circa annum 25. Vult Andr. à Laurentio cum multis aliis, dentes sicut alia ossa materno in utero efformari, licet prodeant tantum è suis alveolis, & gingivam penetrent septimo post partum mense, nisi propter maximum calorem materni lacūs citius prodeant, aut seriùs.

Non simul prodeunt omnes, sed primò incisores superiores, tum inferiores, dein maxillares, postea canini, denique duo maxillares posteriores. Canini

mini suo in ortu magnum dolorem pueris causare solent. Profecta demum ætate solent dentes cadere, ubi scilicet præ siccitate nervi & arteriæ contrahuntur, debilitanturque gingivæ. Recole, quæ de vita dentium diximus. Porro dentibus sæpe adhæret quædam rubigo ipsos exedens & corrumpens, orta ex partibus cibi tenacioribus, ipsis, si fuerint minus duri, magisque porosi, facile adhærescentibus, quæ quidem ciborum particulæ putrescunt, si diu adhæreant, & os, halitumque postmodum inficiunt: unde, quantum fieri potest, mundi conservandi sunt dentes.

Capilli.

Capilli suis canaliculis, nodis & ramis, ferè veluti plantæ minores, instructi sunt: eorum alimentum est sanguis impurius cum aliis humoribus; prope radicem resecti, sæpius per microscopium visi sunt sanguine turgidi. Hinc varius est capillorum color, à vario, quo nutriuntur, humore: ex abundantia pituitæ albescunt: ex nimia bile rufum colorem contrahunt: ex atra & calore nigrum: ex mixtis illis humoribus mixtos colores participant. Capilli molliores & rariores decidunt citius, & efficiunt caput calvum, quia minus radican- tur: humor cum exiguo calore nullam parit casariem, quod tamen aliquando, si capilli recti sunt, signum est, cutem esse mollem; quod enim crispentur, id ex duritie & siccitate cutis, atque pororum angustitiis provenit. Aristoteles tradit, pilos molles timidum, duos fortem virum designare, quod signum ex omnibus animalibus desumptum esse asserit: timidus est enim cervus, lepus, ovis, mustela, mus, &c. &c. & pilum habent molliissimum: fortis contra leo, aper, &c. & pilum habent fortissimum.

Cuticula, Pericranium, Periostium.

Cuticula seu epiderma, pellicula quædam tenuis est, cute tamen compactior, & sensus expers, cuti superimposita, eique firmiter adhærens, ita ut nonnisi calor aut combustionis vi excitatis vesiculis ab ea separata demonstrari possit. Ejus officium est cutem tegere, orificia venularum & arteriarum occludere, sensum cutis exquisitiorem attemperare, nimium madoris fluxum prohibere; est tamen aliquantulum porosa, ut sudoribus exitum præbeat: si verò humor crassior sit, nec attenuatus, ampullam efficit, tumoremque. Licet cuticula sit semi-diaphana, quod patet ex rubore, pallore, & aliis mutationibus, quæ in vultu apparent præcipue, pro diversitate scilicet coloris humoris subjacentis; tamen in se peculiarem aliquem habet colorem, siquidem ferè alba est Germanis, Gallis, Anglis, &c. suffusca Hispanis, oleacea Ægyptiis, nigra Mauris, &c. Sub epiderma apparet cutis seu derma, quæ in capite peculiarem habet crassitiem: sub cute est panniculus seu membrana crassior totum caput circumvestiens.

Pericranium sequitur, & est membrana tenuis, densa tamen & firma, sensu exquisito prædita propter multos nervorum ramulos, per totam ejus substantiam dispersos: hæc totum cingit cranium, ejusque suturis firmiter jungitur, nervosis fibris per ossium commissuras ad duram usque meningem transmissis. Pericranium tamen non obtegit cranium immediate, intercedit enim periostium. Est autem periostium membrana ossa circumvolvens, cujus beneficio ossa dicuntur sentire, solis exceptis dentibus, & fortè officulis aurium: radices tamen dentium suum periostium habent, ex quo partim oritur ipsorum dolor.

§. II.

*Interiores capitis partes.**Dura & pia Mater.*

Ablato cranio in conspectum veniunt partes capitis interiores: primum quidem apparent duæ membranæ peracuti admodum sensus, quas Græci *Meninges*, Arabes *Matres* appellârunt. Ea, quæ est cranio proxima, propter suæ substantiæ crassitiem dura meninx & dura mater appellatur: facta dicitur non modò ad cerebri, medullæ & nervorum tutelam, sed etiam ut cerebrum in duas partes, & à cerebello distinguat: plurimis foraminibus pervia est ad vasorum transitum, atque etiam ad medullæ descensum; ea autem ex parte, quâ adhæret ossi *ethmoidi* seu cribriformi, instar cribri perforata est. Duplicem habet motum dura meninx, *systoles* scilicet, & *diastoles*: motus *systoles* non oritur à motu cerebri, ut perperam arbitrati sunt multi; sed oritur à motu arteriarum penè innumerarum, quibus scatet, tum etiam à motu quatuor veluti fluminum, seu majorum canalium, qui sinus appellantur, & qui pulsus arteriarum imitantur, vehuntque sanguinem velut arteriæ: in hos sinus exonerant sese vasa circumposita, tanquam rivuli in alta flumina. Ubi nota, illud interesse discrimen inter homines & pecudes, quòd in pecudibus, quibus primum est in terram caput, vasa in sinus influentia à parte anteriori in posteriorem procedant, in homine à posteriori in anteriorem: ex quo fit, ut pecudes vix unquam sanguinem naribus emittant, homines verò sæpe sæpius.

Altera membrana cerebro proxima tenuior est, & delicatior, unde tenuis meninx, vulgò pia mater nuncupatur; tam exquisito sensu prædita est, quàm quod maximè: vocatur etiam nonnunquam *Coroides*. Una est Medicorum & Physicorum sententia, omnes fermè capitis dolores ab illis duabus meningibus oriri. Dura mater separat dextram partem cerebri à sinistra in modum falcis mesoriæ, separat etiam cerebellum à cerebro. Pia mater totum cerebrum immediate amplectitur, & ad instar bonæ ac piæ matris sinu suo molliter fovet. Hæc meninx intexitur copiosis ac mirabilibus vasculorum plexibus, seu reticulis, oriundis tum à venis jugularibus, tum à cervicalibus ac *carotidibus* arteriis, per quas copiosus sanguis undequaque cerebro affunditur, quæ sanguinis copia necessaria est ad confectiōem spirituum animalium, & ad cerebri ipsius nutritionem: hæc pia mater innumeris constat glandulis.

Cerebrum & Cerebellum.

Sublatis omnibus cerebri involucris devenitur tandem ad ipsius substantiam, quæ singularis est: cerebrum enim organum est generale, cujus ope sensuum omnium, tum internorum, tum externorum functiones peraguntur. Ejus magnitudo pro ratione corporis longè insignior est in homine, quàm in aliis animalibus: imò cerebrum hominis juxta observationem Recentioris Philosophi duplo pondere cerebrum bovis superat, cum in homine sit 4. aut 5. librarum, in bove 2. aut trium.

Cerebri substantia heterogenea est, & vulgò duplex esse statuitur: alia est exterior, quæ corticalis; alia interior, quæ medullaris appellatur. Corticalis cinerea est, medullaris est alba: in extrema illa cinerea parte, seu cerebri corte-

rice innumeros anfractus & gyros ad instar intestinorum intueri licet, qui tenui meninge seu pia matre ubique involuti in corpus callosum tandem desinunt, id est, in partem internam & albicantem, quam vulgò cerebri medullam appellant: hæc medulla ex infinitis propemodum fibrillis aut nervorum tubulis, ad spinalem quoque medullam pertinentibus, componi videtur. An arteriolarum, quibus sanguis ad cerebrum deferretur, hanc substantiam subeant, dubium est: probabilissimum est, maximam vasorum partem in meningibus & substantia cinerea terminari; multa tamen in substantiam cerebri penetrare, quia hac dissecta apparent puncta quædam sanguinea, præsertim si infletur arteria carotides, aut si per eam atramentum immittatur, tota illa substantia interna punctis nigricantibus pullulat, quod vix aliunde, quam ex vasorum insensibilium dispersione potest provenire. Communis sententia est, cerebrum, quod omnes sensationes percipit, omnis sensus expers esse: & hoc providè, ne scilicet, dum communibus omnium sensuum perceptionibus occupatur, propriis perturbetur.

Tres in partes tota dividi potest substantia cranio conclusa, quæ cerebri nomine appellatur. Prima cerebri pars continet externam cerebri ipsius partem seu quasi corticem, & corpus callosum ex parte, quod immediatè subiectum est substantiæ cinereæ, & paulò majoris est consistentiæ: hujus partis vulnera omnia sunt lethalia, non verò vulnera substantiæ cinereæ præcisè. In secunda & media cerebri parte occurrunt corpus callosum propriè dictum, septum lucidum, fornix, ventriculi, plexus coroides, glandula pinealis, seu conarium & cerebellum. Corpus callosum propriè dictum est substantia paulò interior & majoris adhuc consistentiæ. Septum lucidum est inferior corporis callosi pars tenuis, eaque pellucida, ventriculos superiores & laterales ab invicem discernens, in cujus medio apparet quædam cavitas, plerumque humore aqueo plena, qui in tertium ventriculum effluit. Fornix in inferiore & posteriore ventriculorum cerebri parte conspicitur, ejus substantia medullaris est, & candidissima, tribus quasi columnis innititur: fornicis usus dicitur esse, ne subsidens superior cerebri moles tertium ventriculum opprimat.

Ventriculi seu cavitates in capite reperiuntur numero quatuor, tres scilicet in cerebro, & una in cerebello: tenuissimâ membranâ vestiuntur omnes. Duo superiores, qui anteriores & laterales dicuntur, ad latera septi lucidi, falcatae lunæ formam referunt: hos irrigant plures ductus sanguiferi: duo sunt foramina, quibus illi ventriculi cum tertio communicant; quia hi ventriculi serofitibus communiter repleti inveniuntur, credibile est, illos esse impuratum cerebri receptaculum, atque etiam ad motum systoles & diastoles, qui cerebro communicatur, servire. Glandula pinealis seu conarium, quæ coni vel nucis pineæ figuram imitatur, famosa illa est juxta Cartesium animæ sedes, exiguo colligata funiculo, qui est veluti nervus, nervo pathetico comes adjunctus, & ad oculorum musculos propagatus. Color glandulæ subrubeus est, ejus magnitudo in homine exigua, vix granum tritici adæquat; in pecudibus multò major cum proportionem. Hinc volunt Cartesiani, eò animal esse sagacius, quò hæc glandula minor est, quia tunc mobilior. Ejus mucro sursum, & ferè antrosum spectat, basis cerebri substantiæ incumbit: superius plexu coroides obtegitur, qui in anterioribus cerebri ventriculis geminus reperitur, atque ita nominatur, eò quòd vasa plura contineat, sitque ex innumeris arteriolarum & venularum contextus.

Cerebellum tandem ea est pars substantiæ cranio conclusa, quæ in post-

ea capitis parte reposita est. Durae matris processu ab ipso cerebro distinguitur, figuram habet circiter rotundam, plurimis vasculis irrigatam, & distinctam in varios transversales sulcos, velut in medio plurium lamellarum, & circumvolutionum. Cerebelli substantia, quemadmodum cerebri, duplex est, cinerea nempe seu glandulosa, quae in toto ambitu exteriori conspicitur: & alba seu medullaris, quae interior est. Quartus ventriculus in cerebello situs extrema sui parte in calami formam definit versus spinam, unde ibidem calamus nominatur.

In tertia seu infima cerebri parte, reperiuntur rete mirabile, infundibulum, glandula pituitaria, radix spinalis medullae, & nervorum quorundam principia. Rete mirabile in ipsa cerebri base positum est, qui & plexus retiformis vocatur, glandulamque pituitariam suo velut circumdat plexu: constat duabus arteriis carotidibus, totidemque vertebralibus variè invicem intertextis: illius usus est impetuosum affluxum sanguinis ad cerebrum in illis diverticulis infringere & mitigare; unde cum ille sanguinis affluxus sit major & velocior in brutis, propter capitis dejectionem versus terram, rete majus est in ipsis, quam in homine, qui erecto capite incedit. Alter usus retis mirabilis est, ferrosos humores sanguinis in pituitariam glandulam deponere, ut sanguis defecatiores gignendis spiritibus sit magis aptus.

Infundibulum est vas tertio ventriculo cerebri inhians, & glandulae pituitariae insitum, quod aquosis humoribus cerebri excipiendis, & ad glandulam deferendis, credere est, fuisse coaptatum. Inferior ejus pars glandulae conjuncta, poris crebrioribus pervia tantum est; unde cum tam citò aquosus humor non possit effluere, infundibulum ferè semper aqueo humore repletur plenum.

Glandula pituitaria est corpus exiguum & rotundum, venis & arteriis pluribus intertextum, in medio ossis tuncii seu sphenoidis reconditum. Putant aliqui, pituitosos humores, in cerebri ventriculo collectos, ab hac glandula recipi, & ab ipsa ad fauces & palatum per propinqua foramina demitti. Alii contra existimant, per os sphenoides ita omnem intercludi viam, ut nec subtilissimo liquori illac pateat; quare putant dictos humores non ad fauces, sed per venulas in alias venas majores deferri, & sanguini admisceri.

Medulla oblongata seu radix medullae spinalis est tota ea substantiae pars cranio conclusa, quae infima, circiter digitorum transversalium quatuor longitudine, ab anteriori parte priorum ventriculorum ad finem usque quarti extenditur, ubi in medullam spinalem abit: in ejus parte infima praeter originem decem nervorum conjugationum, sex insignes observantur prominentiae seu apophyses; duae vocantur albicantes glandulae, duae pyramidalia propter figuram, duae denique, quae olivarum nucleos reserunt, dicuntur corpora olivaria. In his omnibus processibus, dicunt Auctores, spiritus animales contineri, qui ex ipsis pro data occasione exiliunt, ut variis motibus & sensationibus deserviant.

§. III.

Pars capitis non crinita.

IN hac parte, quae facies appellatur, reperiuntur frons, oculi, aures, nares, os, &c. Frons faciei pars superior totius humani aedificii frontispicium a non-nulle

nullis dicitur, & est tota pars illa, quæ ossi frontali respondet: in eo epiderma, derma, caro, venæ & arteriæ, atque periostium cernuntur, de quibus jam dictum est. Frons à futura coronali ad nasum alta, à tempore sinistro ad dextrum porrecta, quod amplior, eò ferè pulchrior, nec tantum faciei decus, sed in ea Physionomi tum ingenii, tum indolis indicia reperire se autumant.

Oculi.

Oculi, binæ hominis speculæ, duo à natura concessi sunt, ut, si casu aliquo deficeret unus, superesset alter, & utriusque munus subiret; sed amborum securitati provisum est ab Auctore naturæ, qui eos sub fronte ad nasi latera in duabus orbitis, intra cranii ossa excavatis, locavit, ut in iis sedibus ossis ab externis injuriis forent tutiores: iisdem specubus aut orbitis majoris adhuc tutelæ gratiâ palpebras addidit, quasi velas, quibus oculi conteguntur, ut ab iis pulvis & fumus, omniæque noxia arceantur. De oculo innumera essent dicenda, dicemus tamen, pauca licet, omnia scitu necessaria, præsertim ad visionem inferius explicandam: & certè oculi naturam & fabricam Physicum ignorare, profectò eum cæcutire est.

Oculus humanus penè sphæricus est, ut sit ad motum & ad radiorum visualium admissionem aptior; si tamen oculi cum suis musculis, posteriori parte appositis, considerentur, figuram habent oblongè rotundam, & ad tulipæ bulbum accedentem. Ipsorum magnitudo mediocris est, ut patet, non tamen in omnibus una: majores & prominentes oculi plerumque visum hebetiorem habent, quàm minores & in profundo reconditi, quia in istis minùs externæ lucis objectorum visibilibus imagines interturbat. Quia verò ad oculos maximus fit, & jugis spirituum animalium affluxus, hinc secundæ aut adversæ valetudinis signa sunt manifesta: in homine sano horum spirituum affluxus eos plenos, splendidos, & quodammodo alacres efficit; at in homine malè affecto minor eorundem spirituum copia ipsos reddit flaccidos, turbidos & mœstos; donec tandem deficientibus omnino spiritibus oculi penitus extinguuntur. Partes oculi aliæ sunt exteriores, interiores aliæ: exteriores sunt orbitæ, binæ palpebræ, cilia & supercilia, de quibus primo loco, tum de internis.

Partes oculi exteriores.

Oculorum orbitæ sunt duæ insignes cavitates ossæ sub fronte ad latera nasi hinc inde excavatæ: in iis musculorum principia inseruntur, adèpsque ingens adnascitur. In singulis orbitis tria sunt insignia foramina, duo in fundo posita, tertium in ipsorum margine: quod omnium intimum est, nervo optico transitum præbet; alterum, quod laterale est, fissura ingens dici potest, per quam nervi oculorum motores unà cum venis & arteriis oculorum propagantur. Tertium foramen naso contiguum sub osse ethmoide constitutum ad interiora nasi, & ad palatum extenditur, atque lacrymas transmittit, unde vulgò foramen lacrymale appellatur.

Palpebræ sunt geminæ oculorum fores, apertæ in vigilia, clausæ in somno; motum habent velocissimum, potissimum major & superior, nam inferior parùm movetur: pulverem, fumum, vapores, aliàsque aëris impuritates ab oculis arcent, nimium lumen prohibent, corneam humectant, & continuo suo motu abstergunt. Constant exterius tenella cute, cui nulla subster-

nitur pinguedo : superior palpebra suos motus peragit duorum musculorum ope ; altero, qui vocatur rectus, elevatur ; altero, qui dicitur orbicularis, deprimitur. Palpebræ apertæ duos efficiunt angulos, quos oculi canthos vocant : horum internus seu naso vicinior, major est, & in ipso posita est glandula lacrymalis, foramini lacrymali superincumbens : hæc glandula multis foraminibus pertusa lacrymas continet, ne involuntariè fluant ; unde si casu aliquo aut corrodatur, aut indurescat, sequitur involuntarius lacrymarum fluxus, quod etiam contingit, quando aut dolore, aut humore aliquo acri constringitur glandula ; inde est, cur lacrymæ, vel urgente dolore, vel pungente acri humore, vel perflante vento frigidior eliciantur. In altero oculi cantho est altera glandula, quæ ferè continuò oculos humectat, & ita motum illis confert faciliorem. Atamen juxta alios caruncula, quæ in oculi cantho conspicitur, potest equidem lacrimas excipere aut derivare, sed non est propriè glandula lacrymalis ; nam Recentiores quidam Anatomici glandulam aliam lacrymalem propriè dictam se detexisse asserunt, supra oculum prope minorem canthum positam, quæ super totius oculi corpus humorem suum effundit, qui à foraminibus puncta lacrymalia nuncupatis excipitur.

Sunt enim & alia duo exilia foramina circa majorem angulum, puncta lacrymalia dicta, per quæ intra palpebrarum membranas admissus humor pervadit usque ad membranam nasum interiùs vestientem ; ex quo liquet, humorem per hæc foraminula transmissum in nares instillare, & tunicam internam humectare. Unde si fortasse acrior sit, aut copiosior subtilis ille liquor, sternutationem movet ; aut si tunica hæc rigidior est, quod contingit præsertim hyeme, idem liquor guttatim per nares nobis solet stillare. Hinc etiam patet, cur aspicientes solem ad sternutationem provocemur ; nempe sol humorem rarefacit, unde liquor per hæc foramina faciliùs influens, internamque nasi membranam vellicans, motum sternutationis causat : quod impeditur digito majorem oculi canthum comprimendo, tunc enim obstructâ viâ liquor ille non per nares, sed in lacrymam abibit.

Palpebrarum ciliis seu marginibus inserti sunt uno ac simplici ordine pilis, nonnihil sursum reflexi ; hos pilos cilia vocant : quæ in frontis origine constituta sunt, supercilia appellantur, crassiori, & instar arcus prominenti cuti inserta ; sudores è capite fluentes excipiunt, & ad latera deducunt.

Partes interiores.

PARTES oculi interiores sunt musculi, tunica, humores, &c. Sex musculi oculorum motores in orbita reperiuntur, quorum quatuor dicuntur recti, & motum rectum, sursum scilicet, deorsum, & ad utrumque latus perficiunt : duo minores dicuntur obliqui, eò quòd oculos moveant obliquè. His omnibus copiosus adeps interponitur, tum ad faciliorem motum, tum ad oculi humectationem, calefactionem, & lavigationem. Primus musculus oculum attollit, quod superbis hominibus familiare est, & ideò superbus appellatur. 2. Oculum deprimit, unde humilis nominatur. 3. Oculum ad nasum deducit, ut bibentibus accidit, dum in scyphum inspiciunt, unde bibitorii nomen accepit. 4. Ad extremum canthum oculum trahit, ut in indignabundis evenit, & ideò indignatorius appellari solet. Duo alii musculi, quia oculum circumdant, eumque circumagunt, seu obliquè movent, circumactores vocitantur. Quamdiu æquatis viribus inter se consentiunt obliqui musculi, rectus est aspectus, dummodo crystallinus sit in debito situ. Hinc

Hinc à quibusdam rejicitur sententia illorum, qui volunt Strabonismum oriri ab inæqualitate, aut contractione musculorum; verosimilius enim illis videtur oriri à perverso crystallini situ. Ratio illorum est, quia quoties præpositus est crystallini situs, ea omnia contingere necesse est, quæ strabonibus contingunt. Adde quòd strabones duplicata non vident objecta, quod tamen accideret, si per musculorum contractionem detorquerentur axes optici; præterea in quamcunque partem oculos facile vertunt strabones: ergo musculi contracti non sunt. Deinde explicari vix potest, quomodo, qui sunt strabones, unico oculo objecta lateralia distinctius, quàm perpendicularia videant, nisi dicatur crystallinum habere situm obliquum ad pupillam. Porro strabonismus contrahitur facile in infantibus, dum illis adhuc in cunis existentibus apponuntur ad latus objecta quædam illustria, ut faces accensæ; cum enim satis oculum ad latus adducere non possint, ut ea percipiant, visu, quem faciunt, ipse crystallinus detorquetur. Alii tamen non improbabilius strabonismum repetunt à figura corneæ, cum nempe ejus convexitas magna est, & punctum ejus medium ac supremum non respondet axi & centro oculi; inde enim oritur obliquus objectorum intuitus, ut isti explicant.

Bulbus oculi constat membranis seu tunicis tanquam involucris, è nervo optico tanquam è trunco nascentibus, & quibusdam humoribus in iis contentis. Tres præcipuè distingui possunt in oculo tunica, & totidem humores, præter communes membranas, qualis est ea, quæ adnata dicitur, subinde alba, vel adhærens ab Hypocrate & Galeno appellatur, quæ oculum orbitæ, & interioribus ossibus conjungit; unde & conjunctiva dicitur: exquisiti est sensus, multis constans venis & arteriis, quæ tamen non apparent, nisi in ophthalmia, quando sanguinis fervidioris major est affluxus, quàm per venulas refluxus.

Prima & extrema membrana oculi, quæ à dura matre circa oculi bulbum expansa dicitur, densa admodum est, & firma. Duplex nomen sortitur: in posteriore sui parte B S, fig. 39. *Sclerotica* seu dura dicitur; in anteriore verò B D B cornea vocatur, utpote similis corneis bracteolis, quæ laternis induci solent, ut per partem illam tanquam per fenestram admittatur lumen intra oculum. Cornea plerisque videtur supra sclerotidem protuberare.

Secunda tunica, quæ tenuior est, à tenui meninge originem ducit. Duplex quoque sortitur nomen: parte sui posteriore F E *choroides* dicitur, seu implexa, quia sclerotidi adhæret; in anteriori verò F F, ubi ferè in planitiem expanditur, Uvea dicitur, habens in medio foramen P, quod pupilla oculi nuncupatur, estque in hominibus rotundum, in aliis animalibus sæpe oblongum, potestque dilatari aut constringi loculorum instar, prout majori aut minori lucis copia oculus indiget. Hæc secunda tunica in parte interiori & concava F E omnino nigra est, hinc est, quòd uvea dicatur, quia per pupillam conspecta uveæ nigre similis videtur: circa pupillam tamen versicolor est, tum in hominibus, tum in aliis animalibus, in quibusdam flava, ut in fele; in aliis cærulea, ut in tauro; in aliquibus nigra, ut in cane; in multis glauca seu cinerea, & alia in aliis: unde pars illa iris oculi nuncupatur.

Tertia oculi tunica, quæ à parte medullari nervi optici propagatur à parte posteriori K R retina; ab anteriori K K aranea appellatur: Retina quidem, quia ex illa parte innumeris venulis & fibrillis contexta, reticulo nonnihil similis videtur; Aranea verò, quia ex parte anteriori membrana est delicatissima, aranearum telæ similis. A quibusdam vocatur etiam ciliaris tunica, eo quòd

con-

contexta fit ex fibris velut radiofis : ab aliis ciliares processus nuncupantur. Retina ferè proprium visus organum habetur : ex se non est omnino opaca, opacatur tamen à choroide ipsi à tergo inhærente.

Tres quoque in oculo reperiuntur humores, aqueus, crystallinus, & vitreus. Aqueus humor A A A totam oculi cavitatem inter corneam & ciliares processus seu araneam opplet, globosam oculi figuram efficit, corneam distendit, ne rugas contrahat, uveam, quæ liberè in eo humore natat, humefacit, ut faciliorem habeat motum. Sectâ corneâ hic humor defluit instar aquæ, hinc dicitur aqueus, subinde albugineus ; spirituosum tamen esse, licet colligere, quia acerrimo frigori expositus vix congelatur.

Crystallinus humor C continetur ab aranea K K K K : propriè non est humor, sed est veluti gemma crystallina pellucida, nonnihil solida, mollis tamen, ut comprimi possit & dilatari, quæ, si asservetur, indurescit magis, præsertim calore ignis, quod non accidit in humore vitreo, qui potius liquefcit. Figuram lentis imitatur, sed inæqualiter convexa. Partem anteriorem segmentum esse sphaeroidis elliptici, posteriorem conoidis hyperbolici suspicatur Keplerus. Non tamen in omnibus, & semper eadem est figura. Pars est oculi ferè præcipua, & quasi in medio posita, hæc radios visuales colligit, & in fundo oculi adunat. Successu temporis fit planior & minùs turgida, ut apparet communiter in senibus, qui propterea opus habent perspicillis, eò magis convexus, quò planior est crystallinus.

Vitreus humor V V omnium copiosissimus reliquam oculi partem postremam occupat : densus est instar vitri fusi, unde vitreus dicitur : humectat retinam, ne indurescat, eamque à lente crystallina removet competente distantia.

Tandem nervus opticus O ultima bulbi ocularis pars est : is oculo implantatur ad latus, non verò in parte pupillæ directè opposita, ut voluit Willsius. Et hinc explicant aliqui celebre illud Scheineri vel Mariotti experimentum, quo dispositis in lineam rectam objectis tribus aut pluribus, modò unum, modò alterum, etiam oculo aperto, penitus evanescit. Ut autem duo sunt oculi, ita duo sunt nervi optici, proceduntque ex cerebro distincti, & invicem separati antequam tamen calvariam egrediantur, uniuntur circa medium frontis locum, ita arctè, ut unus videatur effici, & post continuatam aliquantulum conjunctionem sine decussatione iterum in duos discedunt, singulique tendunt ad cava ossium, quibus oculi inseruntur. Porro in hoc nervo præter tunicas memoratas, quæ ex eo nascuntur, visitur in medio substantia quædam medullaris cerebro non absimilis.

Aures.

Aures, quæ sunt auditus organum, pluribus constant partibus, quæ ad tres præcipuas possunt referri. Prima pars auricula dicitur, seu auris exterior, cartilaginea est, & expansa, in varias plicas convoluta, ad sonum excipiendum, frangendum & reflectendum, ac deinde in aurem introducendum. Hinc quibus resecta est auricula, ii obscurius & confusius audiunt, vocèsque instar sonitus fluentis aquæ cum murmure quodam percipiunt. Ea autem animalia, quibus oblongiores sunt auriculæ, ut lepores, cervi, asini, aures statim convertunt in eam partem, unde prodir sonus, ut facilius & melius excipiatur, audituque pollent acutiori. Hinc etiam surdastrum, applicatâ manu, eaque in concham complicatâ, sonos excipiunt, & melius audiunt, quod etiam alias audientes juvat.

Sequitur

Sequitur concha seu meatus auditorius, per varios flexus & spinas ad tympanum usque porrectus, qui flexus & spiræ obstant vehementiori aëris motui, ne confertim irruens tympani membranam lædat. In his quoque angustiiis, seu in meatu auditorio plures insunt glandulæ, è quibus prodit flavus ille ac glutinosus humor, qui à ceræ similitudine cerumen dicitur, eoque velut glutine irretita, si quæ fortè subeant animalia, constringuntur, nec ultra progredi possunt. Verum, si fortè humor ille copiosior sit, nisi identidem ejus parte superflua meatus auditorius expurgetur, periculum est, ne concreascit & tympanum lædat. Et hanc celeberrimus du Verney surditatis ordinariæ causam agnoscit, quæ multi laborant. Licet autem aures hominis ferè sint immobiles, quatuor tamen notantur muscoli, quibus moveri possint.

Post hujusmodi meatus & speluncas reperitur membrana tympani subtilis, sicca & tensa, annulo cuidam cartilagineo & osseo sic alligata, ut tendi nonnunquam aut relaxari possit. Ad tensionem & relaxationem istius membranae tria annumerantur officula aut quatuor, videlicet malleolus, incus, stapes, & os orbiculare ligamento stapedis annexum. Ex altera tympani parte, velut in tympano vulgari apponitur una & altera membrana, per quas sonus & aëris fremitus in tertiam auris speciem traducitur, quæ labyrinthum & cochleam complectitur. Labyrinthus ita nominatur, quod in semicirculis osseis sic excavatus sit, ut ex majori illius cavitare, quæ vestibulum nominatur, aliæ omnes cavitates aut ductus oriantur, & in eam absolutis suis gyris tandem desinant. Intima hujus cavernulae pars est cochlea, cujus ductus in principio amplior est, tum magis contrahitur, & in spiras cochlearum instar contorquetur: sunt & nervi auditorii, qui, sicut in aliis sensuum organis, in ramos & fibrillas ac per membranulas expanduntur.

Nasus.

IN naso, sicut in aure, duas partes licet distinguere, externam scilicet, quæ conspicua est, & internam, quæ prorsus abdita ossi cribriformi immediate subjacet. Pars externa omnibus conspicua duas in partes intercedente medio septo, partim cartilagineo, partim osseo dividitur. Quilibet pars superius duo foramina seu duos sinus habet; alter sursum ad os spongiosum ascendit, alter deinde ad palatum & fauces descendit; unde nonnunquam potus in nares ascendit, & nasi excrementa nonnunquam in palatum descendunt. Est autem nasus pars faciei protuberans, olfactui inserviens, & in respiratione aëri transitum præbens, nec non cerebri excrementa per ossa cribriformia defluentia dimittens. Cutis sub septo medio crassior est, atque interius pilis investitur, qui vibrissæ dicuntur. Ossa nasi lateralia partem nasi superiorem immobilem sustinent: sinus nasi, nares vocantur, quia per eos odor & spiritus in mare non desinunt. Narium interior amplitudo vestitur tenui membrana, quæ à dura meningē oriri dicitur, hæc valde subtilis & sensibilis est, unde acri quolibet humore aut corpore vellicata sternutationem parit. In naso venæ sunt & arteriæ, fibrillæ & nervi olfactorii, quorum aliqui communes sunt oculis & palato; unde odor acris sæpe lacrymas ciet; suavis verò & sapidus odor salivas exprimit.

Nasi pars interior, quæ est verum odoratus organum, constat ossibus spongiosis, lamellis cartilagineis sine numero, productionibus mamillaribus, & possimum membrana delicatissima: has omnes membranas obvolvit tunica nasi

interior, quæ illic tenuissima est, & amplissima, propterea quòd omnes lamellarum anfractus subiens, multis modis circa illas complicata, in angusto spatio multam habet superficiem, quod quidem non parùm conducit ad perfectionem odoratûs; sic enim plures hujus membranæ partes corpusculis odoriferis feruntur, fitque vividior sensatio; & inde est, quòd animalia subtilioris odoratûs quàm plurimis hujusmodi laminis prædita sint, uti canes venatici: paucioribus lepores, vulpes, feles; homo paucis; quod maximo argumento est, membranam istam esse præcipuum odoratûs organum: & certè si adverso conspiciatur lumine, innumeris apparet conspersa nervulis. Ita porò fabricatum est odoratûs organum, ut odorifera corpuscula simul cum aëre inspirata hanc membranam feriant, atque etiam aliquamdiu detineantur in illa intra lamellas & poros; inde fit, quòd non statim pereat odorum sensatio. Nasus non parùm confert ad faciei venustatem, ad vocis sonum, & ad indolis cognitionem; inde invaluit proverbium, quòd vir prudens & sagax dicatur vir nalutus.

Genæ & Labia.

Geminæ sub oculis faciei partes inter nasum & aures, & mentum expansæ, veteribus genæ dictæ sunt, quia in iis pili gignuntur: dividuntur in partem superiorem & inferiorem; superior sub oculis inter nasum & aures leviter prominens, ac sapius rubens, faciei circulus, seu malum aut pomum faciei nominatur: hæc Plinio pudoris sedes censetur, quia ea pars in pudore protinus erubescit. Inferior, laxiorque pars, quæ à retento spiritu inflari potest, bucca nominatur; istius verò pars utrinque prostans à labii cavitate ad latera, Græcè *Mystax* dicitur, quo nomine subinde etiam nunc eo in loco barba appellatur.

Sunt labia duo, quorum mediâ rimâ os concluditur: horum partes extremæ prominentes exteriùs, & quæ rubescunt, prolabia appellantur; pars verò, quæ sub inferiore labro in acumen protenditur, mentum dicta est. Constant labia ex carne molli & fungosa, cui cutis cum musculis ex arte miscetur: nervorum propagines exquisitum sensum labiis conferunt: arteriæ verò inter cutem, & carnosam membranam dispersæ sanguinem nutritium tribuunt, cui debetur purpureus ille labiorum color, pulchritudinis & sanitatis nota.

Lingua, os, Palatum.

Lingua, quam volunt nonnulli à lingendo ita dictam, primum gustûs organum est, cibique potusque diglutiendi adminiculum. Oblonga est, & in radice insigni crassitie prædita; ad extremum verò multò tenuior: ejus membrana, exterior præsertim, quæ superiori linguæ planitie imponitur, multum est porosa, & in hominibus mediocriter lævis, in plerisque brutis aspera, atque lineolâ per mediam longitudinem excurrente in duas partes divisa. Porosa est, ut res gustandas salivâ dilutas interiùs per suos poros transmittat: aspera, ut suo ad palatum & genas affricu salivam exprimat, corpora solida facilius dividat, subjectasque papillas nerveas, quæ sunt proprium gustûs organum, à contactu duriorum partium alimenti prohibeat. Hæc membrana in multis quadrupedibus plurimis velut aculeis ita exasperatur, ut, quæ lingunt, sæpe dilacerent, ut patet in leone, apro, & etiam in bove.

Sub hac exteriori membrana latet altera tenuis & nervea, totam linguæ substantiam undique proximè circumdans, & plurimas habens exiles prominencias,

tias, quas papillas nerveas vocant, quia innumeris penè tenuissimis nervis intrincatas. Inter utramque supradictam membranam lateret crusta quædam carnosâ, & glutinosa, variis foraminulis instar cribri pervia, & per hæc foraminula eminent papillæ nerveæ prius descriptæ: humor autem & corpuscula sapida in hac crusta diutius detinentur, & melius papillis applicantur, unde fit gustatio major & diuturnior.

Lingua movetur facillè, tot tàmque variis motibus, ut inexplicabiles sint, præsertim motus illi, qui ad loquelam sunt necessarii: variis ad hoc indiget musculis, præter quos conjungitur etiam cum inferiori planitie maxillæ inferioris membranæ ligamento, cuius extremitas frænulum aut filum appellatur, cuius nimia brevitâs sæpè morum linguæ, & etiam loquelam facit impeditiorem, unde tunc rescindi debet magna cum cautione, ne simul vicini nervi rescindantur. Vasa linguam irrigantia sunt arteriæ duæ à carotidibus, totidémque venæ à jugularibus prodeuntes. Os *Hyoides* linguæ radici tanquam fulcimentum & basis substernitur, latinam literam V referens.

Palatum est pars oris superior in modum fornicis leviter concava; constat carne glandulosa, cui superinducitur tunica multis pertusa foraminulis, salivam liquorem transmittentibus: in fundo palati pendet caruncula quædam rubicunda, fungosa & longiuscula, quæ variis donatur nominibus, appellatur enim uvula, columella, gurgurio; è medio juxta narium meatus procedens desinit supra laryngem in obrusum acumen: facillè intumescit pituitæ affluxu, & tunc afficiuntur partes palati viciniore, vox & respiratio redditur difficilior, & difficilior deglutitur cibi. Ejus usus multiplex est, 1. infringit aërem, ne copiosior aut frigidior pulmones subeat, unde quibus adempta est uvula, sæpè phthisi tabescunt. 2. Impedit, ne ita facillè cibus & potus per apertas narium fauces ascendat. Gingivæ constant carne dura, quæ dentes tanquam vallum circumcingunt, unde edentulis adminiculo sunt conterendis quoquomodo cibis.

CAPUT III.

De media corporis regione nempe de Thorace.

Thorax est illa cavitas, quæ superius claviculis, inferius diaphragmate, utrinque costis, parte anteriore sterno, & posteriore dorsi ossibus circumscribitur: sternum pectus dicitur, postica pars dorsum appellatur. Partes ipsius in continentes & contentas distribuuntur: continentes sunt musculi thoracis, ossa varia, sternum, dorsales vertebræ, costæ, scapulæ, claviculæ, diaphragma, pleura, mediastinum, præter cuticulam, cutem, carnem, adipem & perioestia, quibus vestiuntur. Contentæ sunt cor cum suo pericardio, pulmones, trachea, oesophagus, portio truncorum aortæ & venæ cavæ, aliæque minora vasa præter collum, quod huic parti insistit.



§. I.

Partes continentes & collum.

IN thorace est spina dorsi ossea, quæ continet 1. septem colli vertebrae, sic dictas, eò quòd earum ope collum faciliè convertitur. 2. duodecim vertebrae dorsi, quibus septem superioribus connexæ sunt septem veræ costæ, quæ nempe sterno adhærent, & quinque falsæ costæ inferiores, quæ ad sternum non pertingunt, unde spuria appellantur, quarum extremitas immediatè superiori costæ adjungitur. Thorax habet insuper duas claviculas humerorum, tum sternum, quod est os pectoris definens ex parte inferiori in cartilaginem: & in parte posteriori duæ sunt scapulæ.

Præter ossa est collum ipsum constans cute, musculis, venis jugularibus, arteriis cervicalibus, & duabus aliis arteriis, quæ charotides dicuntur. Insuper collum continet duo majora vasa, seu tubos satè amplos, asperam scilicet arteriam seu tracheam, & œsophagum seu infundibulum, quo cibus in stomachum infunditur: trachea verò, quæ est quasi fistula pulmonum, & superius, ubi est præcipuum vocis organum, larynx dicitur, ad quartam colli vertebrae dividitur in duos majores ramos, qui pulmones subeunt, & in alios ramusculos subdividuntur: constat trachea pluribus annulis cartilagineis, non tamen perfectè circularibus. *Œsophagus*, latinè gula, à faucibus initium sumens sub trachea, ubi pharynx nominatur, primum rectà descendit, hinc ad quintam vertebrae nonnihil dextrorsum, ad nonam verò iterum sinistrorsum deflectit, tandem ad undecimam vertebrae diaphragma transiens superiori orificio ventriculi adnascitur, eumque suspensum tenet. Substantiæ carnosæ est, & membranosa, ut commodè extendi possit & confidere, estque ex tribus tunicis constitutus.

Pleura est membrana, quæ interiùs vestit thoracem, dura & tensa; duplicata est, ejus tamen duplicatura faciliùs circa dorsales vertebrae, & in mediastino, quàm alibi cernitur: inter ejus duplicaturam oberrant nervorum, arteriarum & venarum rami quàm plurimi, unde valde sensibilis redditur. Porro si fortè sanguis extra vasa effluens in hac duplicatura concrevit, generatur pleuritis, quæ affert vel *empiema*, quando sanguis putrescit, vel *perineumoniam*, quando pulmones inflantur supra modum. Quòd si serositas aliqua, aut pravus humor, aut flatu in illa duplicatura fortè concludatur, ut accidit sæpe post magnos calores, magnasque agitationes, si subito refrigeratur corpus, tunc spuria pleuritis, aut saltem punctiones laterum acutæ oriri solent.

Mediastinum est membrana à pleura originem ducens, & in sua duplicatura cor simul cum pericardio continens, simul & venam cavam, œsophagum, & quosdam nervos: adhæret immediatè claviculis, usque ad diaphragma protenditur, & sic thoracem & pulmones dividit in partem dexteram & sinistram, & diaphragma sursum tenet, atque etiam cor ipsum suspensum.

Diaphragma est septum transversum distinguens infimum ventrem à medio: est musculus quidam substantiâ, situ, & figurâ ab aliis musculis planè diversus: situm habet transversum in modum cujusdam fornicis mobilis, modò in superiorem, modò in inferiorem partem arcuati. Adhæret ab infimo sterno costarum falsarum extremitatibus ad vertebrae usque dorsi: figuram habet ferè orbicularem: substantiam habet in sua peripheria carneam, & in centro

ner,

nervosam : tres habet aperturas, unam ad dexteram, per quam vena cava descendens transmittitur ; alteram ferè in medio, per quam oesophagus penetrat in ventriculum ; Tertiam etiam in medio, per quam descendit aorta : duabus videtur constare membranis, superior partem pleuræ constituit.

Diaphragma esse organum præcipuum & activum respirationis & inspirationis contendunt plerique Recentiores cum Medici, tum Philosophi, unde si lædatur diaphragma præsertim in medio, statim deficit vita simul cum spiritu. Quare vult Bartholinus cor & diaphragma esse duo primaria corporis mobilia. Intervit autem diaphragma non solum inspirationi & respirationi, cujus est causa præcipua, sed etiam distributioni chyli comprimendo ventriculum, & ejectioni excrementorum. Vult etiam cum aliis Duncanus, diaphragma esse organum risus, qui nihil aliud esse videtur, quam tremula quædam succussio diaphragmatis, quæ per nervos & musculos propagatur ad buccam & genas; unde pueri, quibus in ventre gignuntur vermes, si quando punguntur ab ipsis circa diaphragma, etiam inter dormiendum videntur ridere. Præterea ex diaphragmatis convulsivo motu oriuntur singultus, sternutationes, clamores, suspiria.

§. II.

Partes contentæ.

Cor.

Cor, si Aristoteli credimus, præcipuum est inter viscera corporis, primum vivens & ultimum moriens. Substantiam habet firmam & solidam; figuram pyramidalem pinaceo pomo non absimilem; ejus basis superiorem partem occupat, mucro inferiorem; in media ferè thoracis regione situm est, ita tamen, ut illius mucro in lævam partem nonnihil deflectat: atque inde est, cur ejus motus magis sentitur in sinistro latere, præsertim verò quia sinister ventriculus, cum puriorem sanguinem contineat, quem in aortam transfundit, & aorta simili motu agitur, motum cordis magis sensibilem reddunt. D. Vinslout contendit, situm cordis potius esse horizontalem, quam verticalem, quasi cor ferè supra diaphragma reclinatum esset. Cordis magnitudo varia est: habitatio corporis, sicut cerebrum, ita & cor in homine, quam in cæteris animalibus multo majus est: ordinaria ejus longitudo in adultis est digitorum ferè sex, latitudo quatuor: in viris calidioribus & audacioribus minus est ac densius; in frigidis verò & timidis amplius est ac mollius. Cor juxta verisimillimam sententiam nil aliud est, quam musculus, qui vi propria se contrahit; nam in corde bovino detracta illius capsula seu pericardio, & primæ cordis pellicula, apparent innumerae illius fibræ ad instar cochleæ contortæ.

Duæ sunt veluti cordis appendices, quæ revera sunt musculi suis fibris instructi: auriculæ nominantur ab aurium similitudine, ex utroque latere ad cordis basim sunt collocatæ; dextra, quæ major est & laxior, venæ cavæ apposta est; sinistra, quæ minor est & firmior, venæ pulmonariæ adjacet, adeo ut sanguinem istis vasis advectum recipiant ac præparent, & in cor ipsum, seu in cordis ventriculos traducant; hinc est, quod eodem, ac cor ipsum, systoles & diastoles motu auriculæ moveantur, diverso tamen ordine, ac tempore; nam diastole ventriculorum cordis cum systole auricularum concurrat, & vicissim.

Cordis autem systole tunc accedit, cum arctantur ipsius ventriculi, ac fibræ spirales contorquentur, & cuspis à basi recedit, pectusque ferit; diastole verò, cum spirales fibræ evolvuntur, & cuspis ad basin accedit.

Duo sunt quoque cordis ventriculi, dexter & sinister, quibus quatuor magna vasa cohærent: dextro, qui mollior est, vena cava omnium maxima & arteria pulmonaris; sinistro verò, qui densior est, vena pulmonaris & aorta. Præterea singulis illis vasorum orificiis aptatæ sunt valvulæ, quæ sanguini viam aut claudunt, aut aperiunt: quæ venæ pulmonari & venæ cavæ cum sinistro & dextro cordis ventriculo adhærent, vocantur valvulæ tricuspidæ, vel triangulares; aliæ vocantur semi-lunares. In dextrum cordis sinum defert vena cava sanguinem, qui subiens arteriam pulmonarem, & per exiles illius ramos in venulas pulmonares, ex quibus in truncum pulmonariæ venæ subit, inde in ventriculum cordis sinistrum illabitur, unde per motum systoles in aortam seu magnam arteriam ejicitur. Dexter ventriculus tenuior est, amplior & major, ferè semi-circularis: in eo ventriculo sanguis venosus unà cum admixto chylo ex subclavia vena per cavam delatus incipit perfici, & in spirituosum sanguinem converti. Ventriculus sinister angustior est dextro, sed multò crassior, durior, & longior: ventriculi separantur ab invicem carnosio septo medio. Ubi nota, sanguinem à dextro sinu ad sinistrum rectà per septum non transire; sed in pulmonariam arteriam & venam prius defertur, uti modò exposui: nisi forte in fœtu per foramen ovatum pars aliqua transeat, cum ibidem pulmones non sint in pleno motu; sed foramen illud postea clauditur.

Cor ipsum involvitur membranâ quadam seu tunicâ, quæ pericardium dicitur, & est quasi ipsius theca: pluribus foraminibus patet, per quæ subeunt vasa cor ipsum penetrantia; adhæret mediastino. Vulnera cordis videntur lethalia omnia, etsi Vesulanus asserat, hominem avulso corde tria adhuc aut quatuor verba protulisse. Pericardium continet humorem quemdam inspidum & sine colore, nonnunquam tamen aliquo sanguine subrubeum: videtur stillare ex glandulis in cordis basi dispositis, quando nempe serositate sanguinis abundant, quæ in corde secernitur à puro sanguine: hujus aquæ quantitas est modò major, modò minor; quòd si abundantior sit, palpitatio cordis frequentior, imò & suffocatio suboritur. Usus illius aquæ est humectare cor, ejusque motum reddere faciliorem: effluit fortasse per poros, neque enim alia adhuc via, quòd sciam, nota est, unde effluat.

Pulmones.

Pulmones sunt instar follium in media thoracis cavitate positi, duas in partes per mediastinum divisi: in lobos dividuntur, cor intra se continent, totamque ferè pectoris capacitatem replent: constant substantia molliori, videnturque, non tam esse substantiam carneam, quàm membranarum valde tenuium, congeriem, quæ expansæ varios formant anfractus, variâsque componunt vesiculas, recipiendo aëri idoneas, ita ut per varios, innumeròsque illos focculos ab interna tracheæ tunica efformatos subeat aër ab interioribus ad medios, à mediis ad extremos usque; contexti venis, arteriis, nervulis videntur fibrisque innumeris. Pulmonum substantiam pervadit arteria pulmonaris, eamque suis ramulis sanguine irrigat, quem sanguinem capillares tubuli venæ pulmonaris excipiunt.

Communis sententia est, sanguinem intra pulmones refrigerari, hausto
scilicet

scilicet aëre, eo ferè modo, quo vinum in lagenis vitreis circumfusa glacie refrigeratur: imò etiam per poros arteriæ & venæ pulmonaris subtiliores aëris particula sanguinem subeunt; & si purus est, quodammodo recreant, motumque promonent. Notandum, materiam illam, quæ sputando, non è glandulis salivalibus, sed è pulmonibus nonnunquam ejicitur, prodire posse ex crassioribus fuliginibus sanguineis, in cellulis pulmonum concrecentibus, quæ tandem ipsum pulmonem alterarent, nisi ejicerentur. Addunt aërem pulverulentum, dum membranis pulmonum adhæret, ipsarum motus obstruere.

Venæ & Arteriæ.

Venæ sunt quasi canaliculi sanguinem quaquaversum ad cor ipsum deferentes: pleræque suis instructæ sunt valvulis, & penè sunt innumeræ per totum corpus dispersæ; ex duobus tamen vel tribus truncis prodeunt omnes: quæ prodit ex ventriculo cordis dextro, vocatur vena cava; è sinistro nascitur vena pulmonaris, quæ pulmonibus peculiaris est, nec suos ramos ultra pulmones extendit: contra verò vena cava suos ramos per totum corpus spargit. Addunt & venam portam, tanquam ex præcipuis unam, quæ collectum per suos ramulos sanguinem in jecur deponit. Venæ unicâ constant tunica, & minimè pulsant, ut arteriæ.

Truncus venæ cavæ cordi inseritur, ac postea in duas, ut ita dicam, portiones dividitur; una est descendens, ascendens altera. Vena cava sub ipsis claviculis in duas iterum partes abit, quæ vocantur venæ subclaviæ. Inter venas, quæ ex subclaviis ascendunt ad caput, prima & exterior vocatur cervicalis, internæ vocantur jugulares; sunt & maxillares venæ, vena cephalica, sic dicta, quòd olim eam recto ductu à capite descendere arbitrati sint, hæc totam brachii longitudinem emittitur, & supra cubiti flexuram duas in partes abit: est in brachio vena altera basilica dicta, quæ tres emittit ramos &c.

Arteriæ duabus minimè constant tunicis, & innumeris nerveis fibris: sanguinem è corde deferunt in venas. Duplex dici potest principalis, nempe arteria pulmonaris, de qua superius, & aorta seu magna arteria, in truncum ascendentem & descendentem divisa, ex quo utroque prodeunt arteriolæ per totum corpus sparssæ &c.

Nervi & Musculi.

Nervus est corpus longum, teres & albicans ex multis filamentis contextum: illorum ope objectorum externorum impressiones ad cerebrum usque deferuntur; ideo ea excavata instar tubulorum tenuissimorum esse oportet, ut spiritus animales liberè è cerebro in omnes corporis partes defluant, qui quidem spiritus omnem penitus sensum fugiunt. Volunt tamen aliqui intra tubulos nerveos contineri substantiam, seu liquorem quemdam nerveum, cum quo spiritus permiscetur.

Cùm verò duplicis generis distingui soleant motus in animalibus, naturales scilicet & spontanei, nervi, qui motibus illis inserviunt, non eandem habent originem; nam qui ad spontaneos pertinent, è cerebro fluere dicuntur: qui verò naturalibus motibus sunt destinati, è cerebello descendunt; istorum jugis debet esse descensus. Ubi nota, quòd inciso animalis cerebro, cordis motus & respiratio; adeoque vita adhuc saltem ad tempus remanet; sed ubi cerebel-

bellum secatur, statim vitales motus omnino cessant, & animal moritur; quod magno argumento est, ex cerebello spiritus profluere, ad motus cordis, aliosque naturales destinatos.

Nervorum conjugationes dicuntur paria: decem nervorum conjugationes numerantur. Prima conjugatio est nervorum olfactoriorum. Secunda optico- rum &c.

Musculus pars organica & dissimularis, motuum omnium instrumentum definitur: musculorum nomen à mure deductum est, quasi excoriato muri simili. Cum musculi sint organa, quibus motus perficitur, arctè partibus mobilibus alligantur; illis autem per transversum sectis, omnis actio & motus cessat in ea parte corporis, cujus confinio musculus erat alligatus. Musculi constant tendine, membrana, carne, nervis, arteriis, venis: Vim movendi acquirunt, dum spiritibus insantur. Alii inserviunt ad motum capitis, alii ad motum colli, trunci, artuum &c. plus quàm 400. in homine numerantur.

C A P U T IV.

De Infima corporis regione seu de ventre infimo.

IN infimo ventre, præter cuticulam, cutem, de quibus superius, est pinguedo, panniculus carnosus, membrana, quæ sunt partes continentes, cum quibusdam ossibus: partes autem contentæ sunt omentum, ventriculus, intestina, mesenterium, pancreas, jecur, splen, renes, & vasa plurima.

Pinguedo est substantia mollior, unctuosæ, frigore addensata, universo corpori circumfusa, exceptis quibusdam partibus: non in omnibus tamen hominibus æquali quantitate cuti substrata reperitur, communiter vix semi-digiti crassitiem superat, in aliquibus non adæquat, in obesis multò crassior ad tres subinde digitos ascendit, importuna planè sarcina.

Panniculus carnosus est membrana crassior totum corpus circumvestiens, aliquibus in locis degenerat in musculos, per quos moveri potest cutis, ut in fronte & occipite. Sub panniculo in hac regione est membrana tenuis quidem, sed firmissima, partibus inferioris ventris circumtensa; unde *Peritoneum* dicitur. Membrana musculorum valde tenuis est, musculis alligata tenuissimis fibrillis. Sunt in ventre infimo vertebræ lumbares quinque, os sacrum sex vertebris constans, cujus extremitas dicitur coxis, quatuor ossicula continens, & desinens in cartilagineum acumen. Postremam trunci partem occupat os innominatum, ex tribus compositum, quorum unum dicitur *Ilion*, alterum *Ischion*, & tertium os pubis.

Omentum est membrana quædam tenuis, sed valida, multo adipe & glandulis conspersa; dicitur omentum seu operimentum, eò quòd intestina tegat: pondus ejus est vulgò unius semi-libræ; colligitur ferè totum sub hypocondrio sinistro prope lienem; ejus figura exhibet marsupium aucupum.

Ventriculus seu stomachus immediatè infra diaphragma positus est, inter jecur, cujus una parte regitur, & lienem, qui est ad illius lævam. Duo habet orificia, superius œsophagi, per quod cibus & potus infunditur, ac spintere prope stomachum constringitur. Spinter constat fibris circularibus, & vario alio

alio fitu dispositis, sicut & stomachus, quæ ubi contrahuntur, orificium stomachi ocluditur, ferè sicut crumena, sicque calor internus fovetur, melior fit digestio, neque in ejectione ciborum jam concoctorum patet in oesophagum re-ditus, nec etiam fumi aut vapores ulli possunt in superiorem corporis partem attolli, quibus, ut multi perperam existimant, post comestionem concilietur sopor. Aliud orificium dicitur *Pylorus*, suo etiam instructus spintere: per istud cibus in stomacho concoctus egeritur in viscera.

Fovetur autem stomachus multis partibus ipsi incumbentibus; à dextris quidem jecore, à sinistris liene. Venterculus figuram refert utriculi canori, tri-plici constat membranâ, quarum ultima nervosa est, hirsuta & villosa. Ven-terculus est locus, ubi alimenta concoquuntur, fermentantur, & incipiunt mu-tari in chylum seu in liquorem quemdam albicantem lacti simillimum; non ta-men tota illa alimentorum mutatio perficitur in ventriculo, sed in aliis etiam partibus, ut postea dicitur.

Intestina, licet sex numerentur, attamen unicum constituunt, seu sunt uni-cus canalis gracilis, & longitudinis circiter 24. cubitorum; observatum enim est, intestina exsiccata ferè septies adæquare longitudinem corporis, ex quo e-ruta sunt, quæ tamen omnia sic colliguntur à mesenterio in orbem, ut spatium non magnum occupent. Sunt ductus chyli & excrementorum, à pyloro usque ad ultimum secessum in plures plexus circumvolvuntur: & hic plexus valde gra-cilis, si vel minimum invertatur, nodata dicuntur intestina, ut accidit in mor-bo vulgè dicto *Misere*. Dolores acutissimi, quibus multi in ventre infimo laborant, demonstrant intestina fibris & nervis innumeris constare. Innume-ra autem vasa inter intestina diffusa, inquit Valleus, ad impuritates liquorum totius corporis, etiam in intestina exonerandas, tanquam in communem totius corporis cloacam, destinata sunt. Inter intestina tria sunt gracilia, & tria ma-gis crassa. Primum gracile immediatè pyloro jungitur, & dicitur duodenum, quod Antiqui illud existimârunt 12. digitos longum. 2. dicitur jejunum, quia sæpius apparet vacuum, eò quod recipiat bilem, & succum pancreaticum, qui-bus partes chyli facilius segregantur. 3. est *Ileon*. Primum è crassis dicitur cæ-cum, aut vermiforme, quia in modum vermis formatum: sequitur colon, à doloribus colicis ita dictum: ultimum denique dicitur rectum, quia recta per-git sine circumvolutione.

In ventre infimo lumborum musculis utrinque sub jecore & liene incum-bunt renes, quæ sunt duæ partes ventris inferioris rubei coloris subobscuri: in renibus serum percolatur, adhærent venæ cavæ, & aortæ per venas & arterias emulgentes, per quas scilicet in renes influit, & refluit sanguis.

Pancreas est corpus prope intestina constans plurimis glandulis, unâ tenui membranâ obvolutis, per quas glandulas acidum sanguinis serum separat, illud-que defert in intestina.

Ad bilis evacuationem constituti sunt canales duo in dextera & cava he-patis parte, & vocantur ductus biliaris, & ductus *Colidochum*. Vesica fellis, quæ etiam vesica biliaria dicitur, est oblonga subrotunda posita in parte jecoris dex-tra & cava, duabus constat membranis. Sunt quædam animalia, quæ carent vesicâ fellis, nempe Cervi, Damæ, Cameli, Columbæ, &c. non tamen carent omnino felle, nec ductu biliario: dividitur in partes duas, in collum & fun-dum; collum vesicæ dicitur ductus biliaris, eòquod per ipsum bilis influat; fundus verò ipsam bilem continet. Naturalis color bilis flavus est, sapor ama-rus & acris.

Pp

Jecur

Jecur ipsum est in dextero hypocondrio sub diaphragmate positum, illic appensum per insigne ligamentum, quod suspensorium vocant: constat infinitis propemodum lobulis & glandulis minimis: ab ejus constitutione plurimum dependet sanitas animalis, quia ad elaborandum sanguinem conducit multum; hinc Veteres oppida condituri inspiciebant jecora pecorum, ut loci temperiem colligerent. Rubicundum est potius à sanguine, quam à natura; & hinc in foetu subflavet & elotum candicat: non multos habet nervos, ne bilis acrimoniam sentiat.

Lien sive splen est pars inferioris ventris subrubida, in bovinæ linguae modum ut plurimum figurata: sita est sub hypocondrio lævo infra diaphragma. De lienis usu variae sunt Anatomicorum sententiae, probabilior est in lienis glandulis & cellulis liquorem contineri, quo fermentetur sanguis affusus per arterias. Porro lienem excindi Curforibus, fabula est, ut Knoblochius, Lindanus, & Isbrandus ajunt, nullius insignis Medici testimonio comprobata: imò & in canibus teste Isbrando raro succedit experimentum, nec diu postea vivunt; quare, etsi hæc pars non sit tam necessaria ac quædam aliæ, suo tamen modo necessaria est.

CAPUT V. De Structura Artuum.

In corpore animalis occurrunt denique artus, qui tanquam rami prodeunt ex caudice, & jam restant considerandi. In homine sunt primò brachia, in quibus est os scapulae, & os brachii illi connexum, magnum & validum. Ossi brachii connectuntur ossa cubiti duo, quorum majus dicitur ulna, minus verò radius. Sequitur manus, quæ continet carpum, ubi manus inflectitur; metacarpum seu palmam, & digitos. Ossa carpi sunt octo minora, metacarpi sunt quinque, & totidem ossa digitalia, quorum quodlibet constat tribus ossiculis, excepto pollice, in quo sunt tantum ossicula duo, suis omnia musculis, nervis, venis, carne, pelle, &c. connexa & vestita.

In cruribus & pedibus sunt primò os femoris, à ferendo ita dictum, maximum & totius corporis longissimum. Sequitur tibia inter genu & talum, duobus constans ossibus, non aliter ac cubitus. Pes extremus distribuitur in tarsum, metarsum & digitos: septem ossa tarsi annectuntur tibiæ: sequuntur in metarso seu planta pedis ossa quinque, quibus connectuntur ossa digitorum pedalium, quæ totidem sunt ac in manibus: in parte verò anteriore genu est os rotundum, quod rotula dicitur, prohibens, ne ossa tibiæ & coxæ luxentur anteriùs.

Hæc est admirabilis humani corporis fabrica, in cujus tantum manibus elucet stupenda Dei Opificis peritia, &, ut Galenus ait, ei, qui naturæ opera verè examinat, vel manus sola ante anatomen visa sufficiat: hæc enim est instrumentum universale omnium artium & instrumentorum, quo nihil magis ad omnem proportionem elaboratum excogitari potest, ad capiendam & tenendam quamlibet figuram, rectam, cavam, & sphericam; quæ potest jungi, disjungi, flecti, stringi, explicari, ac mille modis moveri; cujus usum, si vel in instrumentis musicis, vel in operibus artis, & aliis innumeris consideres, vel ex hæc sola Divinum cognosces Artificem. Quid nunc oculus? quid auris? quid caput? quid tota fabrica?

CON: